


'PANORMITA'

CARMINA VARIA (567 vers)

ANTONIO BECCADELLI



CV_1 v.1 Ingratae Nemese tu corque animumque dedisti,
 2 tam nihili vitam vatis, amice, putans ?
 3 Tu ne animam demens ventis committere es ausus ?
 4 Atque huic atque alii credere inesse fidem ?
 5 Quam bene habet : vacuo traducis pectore vitam :
 6 si tamen ulla tibi vita sit absque anima.
 7 Illa quidem exsultat victrix, animamque catenis
 8 alligat ; et vatem spernit acerba pium.
 9 Sic qui blanditiis vanae capiuntur amicae,
 10 evenit, eveniat, curat iniqua parum.
 11 Cum te subripuit, cum te blandita fefellit,
 12 fingeat tristis, pallida cordolium.
 13 Hei mihi quam sunt perfaciles in amore poetae :
 14 materies, risus, causaque certa joci.
 15 Quid tibi cum sanctis tantum Cytherea poetis ?
 16 Non tua, sed Phoebi maxima cura sumus.
 17 Phoebus pater, natum spes unica, protege vates.
 18 Ni modo te Daphne, vel novus ignis habet.
 19 Phoebus amat, vates nec curat ; satque suarum
 20 est sibi curarum, credite Phoebus amat.

21 Stroccius interea meus ardet, nec sibi mens est,
 22 nec sibi consilium, non anima, aut animus.
 23 Ridet, et ipsa alios Nemesis sibi quaerit amores.
 24 Atque hos atque alios excitat usque procos.
 25 Quid faciat vates ? Durabit : perfida sed tu
 26 redde animam vati, perfida redde animam.

EPITAPHION LUBERAE EBRII

CV_2 v.1 Hic Lubera jacet : Bacchi dulcissima proles,
 2 effudit vitam natus amore patris.
 3 Fleverunt utrem vites, flevere tabernae,
 4 quas veteris complent dolia multa meri.
 5 Terque vale dixit germano, Massicus humor,
 6 ter Graecus frater, terque Falerna soror.
 7 In primis juxta exsolvit, Cretensis amicus,
 8 quem nunc malvaticum rustica turba vocat.
 9 At tu non lacrimas, sed vina veterrima funde,
 10 quisquis ades : nato tu quoque, bacche, fave.
 11 Nec sibi tura placent : nec vana precatio divum,
 12 nec sacra Gregorius quae pius instituit.
 13 Unum est quod requiem praestat, pacemque sepulto.
 14 Quod petiit moriens : ut sibi vina dares,
 15 gaudeat hortus aquis : madeat piscator in undis,
 16 dulcia Luberae vos modo vina date.

EPITAPHION ALPHONSI ANTONII

CV_3 v.1 Hic jacet Alphonsus, cani spes una parentis
 2 et Laurae matris laetitia atque dolor.
 3 Forma erat infanti, quales consuevit Apelles
 4 ante Deum sanctos pingere spiritulos.
 5 Lux Veneris cupidae concessit gaudia matri,
 6 gaudia, quae rapuit mox Jovis atra dies.
 7 Quid facias ? Superi quicquid statuere ferendum est :
 8 sparge puer violas, sparge puella rosas.

EPITAPHION CISMOGENIAE ANTONII F.

CV_4 v.1 Quam tulit in media tellus Campana ruina,
 2 nunc jacet hoc humili Cismogenia loco.
 3 Ne patriae horreret casum, terraeque tremores,
 4 una eademque dies hanc dedit hanc rapuit.
 5 Felix cui dederit prius astra revisere fatum,
 6 quam sentire animae noxia damna suae.
 7 Haec pater infelix vates in funere natae
 8 munera parva quidem, sed diuturna dedit.

EPITAPHION BARTHOLOMEI FACCII

CV_5 v.1 Qui legis Alphonsi mores atque inclita facta,
 2 Faccius illorum conditor hic tegitur.
 3 Unus hic eloquio potuisset flectere Parcas,
 4 si possent Parcae flectier eloquio.

EPITAPHION BARTHOLOMEI FACCII

CV_6 v.1 Eloquii fama modo qui compleverat orbem
 2 Faccius, hoc modico contegitur tumulo.

EPITAPHION BARTHOLOMEI FACCII

CV_7 v.1 Hic jacet ille ingens fama, fandique peritus
 2 Faccius, Alphonsi principis historicus.

EPITAPHION MASIPELLAE ANCONITANAE KIRIACI MATRIS

CV_8 v.1 Anconis splendor, jacet hoc Masiella sepulcro
 2 una pudicitiae Kiriacique parens.

EPITAPHION IULII FORTIS

CV_9 v.1 Julius hic Fortis situs est : haud parva Sicanae
 2 laus patriae ; Alphonso dum studet, occubuit.

LUCRETIAE LAUS

CV_1 v.1 Tam superexcellit Lucretia diva puellas
 2 quam Diana suos praeterit alma choros.

LAURAE LAUS

CV_11 v.1 Laura puellarum pulcherrima, Laura poetae
 2 deliciae Siculi, Parthenopesque decus.

MINUTULAE LAUS

CV_12 v.1 Excellit cunctas formosa Minutula nymphas
 2 seu ducit choreas, sive puella canit.

IN LAUDEM OPICINI

CV_13 v.1 Di tibi dent quicquid dulcis tibi filius optat,
 2 di tibi longaeuos dent, Opicine, dies.
 3 Per te servata est bis Genua pulchra Philippo.
 4 Ante hac servari nescia terra diu.

AD VIATORES DE OPERIBUS ALPHONSI REGIS

CV_14 v.1 Si venias pelago, portus mirabere molem ;
 2 si terra, insuetum cryptae mirabere lumen,
 3 siccatasque feres ingenti laude paludes ;
 4 moenia mox ineas ; pulchram miraberis arcem,
 5 aequatasque domos, fontes et strata viarum,
 6 regis opus ; majora exstant ; requiesce viator.

AD GAUDENTIUM

CV_15 v.1 Pallatius tibi dat, Gaudenti maxime rhetor,
 2 dimidium turtae dimidiumque animae.
 3 Deinde petit, quae sint sincera vocabula turtis
 4 dic turtae et mittet dimidium reliquum.

LUCRETIAE LAUS

CV_16 v.1 Quantum rex proceres, quantum sol sidera vincit,
 2 tantum Campanas superat Lucretia nymphas.

EPITAPHION BARTOLOMEI STROCCI

CV_17 v.1 Spes patris ac patriae, luctus patris ac patriai,
 2 Stroccius hoc situs est Bartholomeus humo.

EPITAPHION FALCONIS AVIS

CV_18 v.1 Falco, decus volucrum regum non parva voluptas
 2 conditur hic, strages perniciesque gruum.

EPITAPHION CAMILLI CARAZULI

CV_19 v.1 Magnanimi juvenis lapis hic tegit ossa Camilli
 2 patria Parthenope praeclara Carazula proles

3 dum subit, ille ingens animis hostilia primus
 4 moenia, dumque suo pro rege pericula temnit,
 5 occubat ! Heu, quanto constabit sanguine caedes :
 6 comprime rex lacrimas, armis ulciscere manes
 7 militis : ille etenim generosa morte perennis
 8 vivet, et unanimis narrabit regis amorem.

IN STATUAM PARTHENOPIS DORMIENTIS

CV_20 v.1 Parthenope multos bella vexata per annos
 2 nunc opera Alphonso parta jam pace quiesco.

IN STATUAM IUSTITIAE

CV_21 v.1 Iustitia e terris quondam Jove rege recessit
 2 nuper ab Alphonso rege vocata redit.

IN STATUAM IUSTITIAE

CV_22 v.1 Cum pecco, heu misero torva atque infensa videntur ?
 2 Mi simulacra deum, vultuque invergere crimen.

IN STATUAM IUSTITIAE

CV_23 v.1 Quid prodest studio macrescere, cum sit honoris
 2 jam nactus titulum, et laudis praeconia nummus ?

IN VILLAM STROCCI

CV_24 v.1 Salve clara Titi jucundi villa poetae,
 2 salve nympharum Pieridumque domus.
 3 Te Bacchus repleat musto, te Pallas olivo,
 4 et tua fecundet Sicelis arva Ceres.

EPITAPHION RULLI

CV_25 v.1 Hic situs est Rullus, decus et spes una juventae,
 2 dum sequitur regem Parthenope occubuit.
 3 Non faciam plures versus, plures licet optes :
 4 caseolos nati quatuor ille dedit.

EPITAPHION FRANCISCAE SERGENTINAE

CV_26 v.1 Hoc Francisca jacet gelido Sergentina busto
 2 clara genus, vita clara, sed illa magis
 3 cara viro conjux, et filia cara parenti,
 4 grata sed imprimis relligione Deo.
 5 Forma fuit certe non contemnenda, sed oris
 6 neglexit laudem : laude pudicitiae
 7 illa quidem talis : tu qui legis ista rogato
 8 tam pia defunctae ne gravet ossa lapis.

EPITAPHION PAPARELLAE

CV_27 v.1 Deliciae regum jacet hoc Paparella sepulcro
 2 uxoris miserae perpetuae lacrimae.

EPITAPHION IANNOTII MANETTI

CV_28 v.1 Jannotius jacet hic : doctus Graece atque Latine
 2 parque Salominio non minus eloquio.
 3 Hunc praeclara dedit Tuscis Florentia civem,
 4 vir dignus patria ; patria digna viro est.
 5 Plurima mandavit miratu digna libellis,
 6 Parthenope, Alphonso dum studet, occubuit.

EPITAPHION IANNOTII MANETTI

CV_29 v.1 Jannotius musa doctus Graeca atque Latina,
 2 regibus indulgens, Parthenope occubuit.

EPITAPHION PRO GALLINA MASCULO

CV_30 v.1 Hic re gallus erat quamvis gallina vocatus
 2 occulerat testes nomine femineo
 3 Nestor et aetate, et redivivis moribus infans,
 4 quippe senex, infans femina masque fuit.

EPITAPHION PRO GALLINA MASCULO

CV_31 v.1 Qui te gallinam non gallum dixerit, errat,
 2 nomine deceptus femina virque tuo
 3 centenisque annis confectus, moribus infans,
 4 delirusque senex, ridiculusque puer.

EPITAPHION PRO GALLINA MASCULO

CV_32 v.1 Masculus hoc tegitur gelido gallina sepulcro
 2 de sene festina conditione puer,
 3 quem mors non potuit contundere, contudit uxor
 4 discat ab exemplo cautior esse senex.

EPITAPHION SYLIANAЕ

CV_33 v.1 Hic jacet ante alias praestans Syliana puellas,
 2 sive petis formam, sive pudicitiam
 3 vix dum bisdenos vitae compleverat annos
 4 mortales inter desiit esse homines.
 5 I nunc et formae, mulier, seu fide juventae,
 6 illa Deum facies vermibus esca jacet.

DE HYLA

CV_34 v.1 Venit Hylas, sed dormit Hylas, dormitque, bibitque
 2 Endymion somno, corpore verus Hylas.

ALPHONSI REGIS SENTENTIA DE PANORMO ET MESSANA

CV_35 v.1 Aemula felici semper Messana Panormo
 2 posthac Alphonso iudice victa, sile.

CV_36 v.1 Hic placitus placeat cuivis, mihi nocte dieque
 2 displicuit ; pereat cui placet hic placitus.

LAUS ELISIAE

CV_37 v.1 Elisia auricomas inter celeberrima nymphas,
 2 quae formae aut animo res erit apta tuo ?
 3 Colla nives, et labra rosas et lumina vincunt
 4 sidera ; culta Helene, nuda Diana dea es.
 5 Cum loqueris, quamvis et rara et pauca loquaris,
 6 sola tamen digna es multa loqui atque loqui.
 7 Quid loquar artifices digitos, quid pensa, quid artes,
 8 et quibus evitas otia mille modos ?
 9 Inter opus tantum dulce, o dulcissima cantas,
 10 et cantu nolens pectora multa capis.
 11 Unum crimen habes sed si modo crimen amari est
 12 quod cantu nolens pectora multa capis.
 13 Nam saltu licet ipsa lyrae, licet, ipsa Choreae
 14 sis deus, ad Thiasos rara vocata venis.
 15 Atsi quando venis, paulum cessura labori,

16 te Charites sociant, te comitatur Amor.
 17 Quacumque incedis, spirant violaeque rosaeque :
 18 incedis noctu : nox fit et illa dies.
 19 Quicquid habent omnes divi divaeque decoris,
 20 quicquid habent laudis, tu quoque laudis habes.
 21 Hoc etiam felix et formosissima pulchro
 22 scilicet et casto casta puella places.
 23 Ipsa puellarum decus es, decus ille virorum ;
 24 clari ambo, claris moribus ambo pares.
 25 Ambo ergo Deus longaevos servet in annos,
 26 saepius et timidos jungat utrumque Venus.

AD ANTONIUM

CV_38 v.1 Non satis ille tuos, Antoni splendide, mores
 2 cognovit, qui te damnat avaritiae.
 3 Namque abes aegroto Pylades addictus Oresti
 4 teque amor et pietas non sinit esse domi.
 5 Elysia interea lux insperata penates
 6 visit et illustrat grata puella tuos.
 7 Numquid avaritiae culpabere, si pius absis ?
 8 Deque insperato te tua nympa petat ?
 9 Struxisses praesens mensas epulasque deorum,
 10 plausissent dominae res, anus ac paries.
 11 Sed fortuna ipsis vel amantibus invida fecit.
 12 Infelix peregre, dulcis amice, fores.
 13 Illa animo, illa oculis, ac gressibus omnia lustrat,
 14 absentem ut dominum sedula sensit, abit.
 15 Tunc obiter maestae Elysiae rivalis adhaeret
 16 ne te suscipiat, dixit avarus abest.
 17 Talia sint quaeso rivali qualia tu vis,
 18 sed nihil est, mores novit amica tuos.

IN INVIDOS

CV_39 v.1 Quid curem Rhodus qui nostra poemata culpet,
 2 si mea Maecenas carmina docte probas ?
 3 Quid curem quod me cimex Laurentius odit,
 4 si me Crottiades unus et alter amat ?
 5 Quid curem carpat vitam Cato Saccus Iacchus
 6 si Ferrufino iudice vita proba est ?
 7 Quid curem, quod me livor sectetur ubique,
 8 si semper virtus invidiosa fuit ?
 9 Curandum placeas tantum doctisque bonisque,
 10 summa quidem laus est, displicuisse malis.

LAUS AMBROSIAE

CV_40 v.1 Quae est quae modulans flectensque facillima voce

2 efficiat prae se rauca sit omnis avis ?
 3 Quae est quae cantu truculentos mulceat ursos ?
 4 Et faciat Venerem sentiat Ippolitus ?
 5 Quae Siren Ithacum possit sopire canendo ?
 6 Lenius aut cantet quam moribundus olor ?
 7 Et quae non hominem sed quae sonet ore Minervam
 8 dum ducit telas, et canit inter opus ?
 9 Dicite, io ! Musae, quaenam est ea ? Jamne siletis
 10 invidia ? Dic tu, dic, amor... Ambrosia est.

EPITAPHION ANTONIAE

CV_41 v.1 Illa per Aemilias famosa Antonia terras,
 2 illa Sibaldinum femina clara genus
 3 hic jacet, o mulier, forma nec fide nec annis
 4 nec probitate diu vivere posse puta.
 5 Quaeris in hac faciem ? Fuit altera pene Diana.
 6 Quaeris item mores ? Altera Penelope.
 7 Hanc genuit studiis praeclara Bononia legum
 8 huc autem cari conjugis egit amor.

EPITAPHION TIRINEAE

CV_42 v.1 Hic Tirinea jacet, vatis medicique voluptas
 2 atque eadem vatis maestitia et medici.
 3 Omnia languenti tentavit, sed nec amoeno
 4 carmine nec medica juvit amator ope.
 5 Quin etiam Phoebo suscepit vota precesque
 6 fudit, sed rapiunt vota precesque noti.
 7 Jam sibi malebant caelestia numina nympham ;
 8 Sors medici Vatis invidiosa deis.
 9 Hic secum Veneres, secum tumultantur amores ;
 10 secum blanditiae, deliciaeque jacent.
 11 Flevit anus, flevit virgo, flevere puellam
 12 qui numquam flerant femina, virque prius
 13 atque aliquis rediens maesto de funere dixit,
 14 si qua puella dea est, ista puella dea est.

IN VALLAM

CV_43 v.1 Carmina componis, Laurenti, stans pede in uno,
 2 nil mirum si sic carmina facta cadunt.

AD GALGANUM BICUM

CV_44 v.1 Quod tibi tam sero mittam, Galgane, libellum
 2 da veniam, mitti noluit ipse liber.
 3 Saepe ego sic monui : dominum pete, condite codex,
 4 Annus abhinc agitur quod liber erro : sat est.

5 Fortunate liber, quam te leget ille libenter
 6 rettulerat : lapides non mea scripta legunt.
 7 Rettulerat : tinea potius pertundier optem
 8 carcere quam tetro trudier ipse iterum.
 9 Est et enim carcer librorum Bicia proles,
 10 nescio quid miserum vox quoque Bica sonat.
 11 Dixit adhuc in te jam deteriora libellus,
 12 quae maledicta suo tempore, Bice, scies.
 13 Ipse quidem volui : sic me divique deaeque
 14 semper ament : libro subdere vincla tuo.
 15 Fugit et effugiens alarum more papyrum
 16 ventilat, et dixit : Memnia tecta peto.
 17 Plura loquebatur : solum pervenit ad aures
 18 nescio quid bici bicia bicacion.
 19 Tunc ego : cur blaese, cur es tam pingue locutus ?
 20 Respondit : tali carmine dignus erat.

AD MAECENATEM

CV_45 v.1 Maecenas, quod te superi quodve anguiger heros
 2 respiciant ; quod te curia plebsque probent.
 3 Rhodus id in fatis non in virtute reponit ;
 4 verum id perverse ut caetera Rhodus ait :
 5 Scilicet insigni carus pietate deis es,
 6 justitia plebi, consilioque duci.
 7 Si modo non cessat virtus, nec numina cessant,
 8 sed sibi nec virtus nota, nec ipse deus.

IN LEOMORTEM

CV_46 v.1 Sit tibi lingua, precor, radice excisa, Leomors,
 2 impia luctifici nuntia lingua mali.
 3 Rumor erat Venetos a nostro milite fusos,
 4 gaudebat fausto femina virque novo.
 5 Interea Leomors adventat et omnia turbat,
 6 id vanum referens esse : quod esse putant.
 7 Sit tibi bubo comes, sint dirae, o dire Leomors ;
 8 civibus invisum principibusque caput.

IN LIBRARIUM

CV_47 v.1 Quidam, cujus ego nomen patriamque silebo,
 2 indignus libro nomen habere meo est.
 3 Excerpsit quaedam turpis librarius in me
 4 carmina : sint plane carmina rauca licet.
 5 Continuum o quantum : mens aequa ac justa deorum est,
 6 illum corripuit detinuitque furor.
 7 Qui laedit vates, divum quoque numina laedit.
 8 Caelitibus nulla est ultio prompta magis :
 9 jamque miser, nudus, certe miser errat in urbe,

10 et nudos testes, quisque videre potest.
 11 Irritant pueri saxis ac voce furentem
 12 inque dies alitur usque furore furor.
 13 Vos igitur moneo sacros nolite poetas
 14 laedere, laedentes ultima poena manet.

DE REGIS APOLLONIAE CASU

CV_48 v.1 Regis Apolloniae sonipes cadit, et cadit una
 2 rex eques : hinc regis tibia pressa tumet.
 3 Stulta nihil surae prodest medicina tumentis,
 4 quam medici nequeunt attulit ursus opem.
 5 Nam dum venandi studio rex ducitur idem,
 6 ex improviso grandior ursus adest.
 7 Rex ursum aggreditur, regis suram ille momordit
 8 qua tumor antiqui causa doloris erat.
 9 Plurimus inde novo fluxit de vulnere sanguis :
 10 exiit antiquus cumque cruore tumor.
 11 Curatur morbo morbus, dolor ipse dolore,
 12 vulneris ex vulnus cura salusque fuit.
 13 Saepe quod ipse nequis, quamvis studiosius haeres,
 14 si non desperes, mitia fata dabunt.

IN RHODUM

CV_49 v.1 Ture pio Rhodus dum divum numina poscit,
 2 quae vis dicendi, sorsque futura sibi est :
 3 Mira fides : templi vox e testudine missa est :
 4 non erit orator Rhodus, arator erit.

CV_50 v.1 Surge, age, Calliope, sat languor, inertia satque
 2 te tenuit : vires collige, diva, tuas.
 3 Pauca meo Tusco, sed dulcia carmina vati
 4 da, licet id quod non indiget ille dabis.
 5 Ille habet : ille facit jam carmina, qualia Phoebus
 6 dum canit ardentis dulcia furta Jovis.
 7 Ille etiam cum sit summus, vult unus haberi ;
 8 et quamvis nolit, gloria prima sua est.
 9 Cedite nimirum cuncti, cedamus et ipsi :
 10 ejus Apollineus spiritus ore sonat.
 11 Ille sacros Vates, quos longa aboleverat aetas,
 12 suscitatur extinctos, non sinit ille mori.
 13 Dum cupit antiquos Italiam extendere versus,
 14 non labor abducit, non via longa virum.
 15 Non removet glacies, non densa pericula terrent.
 16 Denique vix revocant corpora trita rotis.
 17 Quin etiam ingenium vatium fovet ille novorum.
 18 Debentur qui sunt, quive fuere sibi.
 19 At nunc Pontificis secreta negotia summi
 20 sustinet, ut par est, sustinet illa libens ;

21 diligit hic dominum, domino gratissimus idem,
 22 devovit domino membra animamque suo.
 23 Non capitur precibus, nullo corrumpitur auro :
 24 Principis hinc curae gloria sola sui est.
 25 Si quis agat secum donis, aut munerum nunquam
 26 is feret optatum, taedia longa feret.
 27 Mira fides illi, par est constantia, nulli
 28 cedit, vel primo relligione loco.
 29 Qui modo majores ornabat carmine pulchro,
 30 idem nunc pulchro carmine dignus erit.
 31 Et modo qui numeris nectebat verba sonoris,
 32 materiam vates vatibus ipse dabit.
 33 O ego, dii faciant chartis intexere dignus,
 34 credar honorati splendida facta viri :
 35 tunc ego convocitem sanctas Heliconis alumnas,
 36 illa mihi cursim turba vocata venit.
 37 Tunc ego materia poscente periclitter altos
 38 versus, alternos despiciamque modos.
 39 Tum simul altiloquo versu et, summe sacerdos,
 40 concinerem, totam concineremque domum,
 41 et tua quae nunc est de marmore pura columna,
 42 forte tui fiet aurea vatis ope.
 43 Et tua conabor vivat post funera virtus
 44 quam bona posteritas et colat et celebret.
 45 Crede mihi, probitas sit magna et clara licebit,
 46 denique, ni vatum sint, monumenta, perit.
 47 Quid tibi cum summo nunc est antistite musa ?
 48 Qui tibi musa novi mentio facta dei ?
 49 Quos junxit virtus, conjungat epistola, nec fit
 50 absque Deo vates, nec sine vate Deus.
 51 Post haec, Calliope, me dedas Bartolomeo
 52 meque columnensi dedicet ille deo.

EPITAPHION SERPINNAE

CV_51 v.1 Hic Serpinna jacet, domino tam grata catella
 2 quam tibi non adeo, Lesbia, passer erat.
 3 Optarim tumulo miras inscribere laudes :
 4 non capit exiguus carmina plura lapis.

EPITAPHION CAPELLAE

CV_52 v.1 Filia Serpinnae, dispar tamen illa parente,
 2 conditur hic, tumulus spurca cloaca sibi est.
 3 Solum, blanda cocis, asservatrixque culinae :
 4 frangantur quamvis hostia, surda jacens,
 5 fida epulis, cineris custos, taeterrima visu,
 6 mordica, sed quamvis mordica, pigra tamen ;
 7 at demum longa scabie rabieque perempta est :
 8 conveniens laetum, conveniens tumulus.

CV_53 v.1 Hic ducis anguigeri mandant secreta tabellis,
 2 quisquis es, ab nostro limine siste pedem,
 3 flecte aciem, noli nudam spectare Dianam
 4 nec strepe, non atris luna laborat equis.

DE VESPASIANI STATUA

CV_54 v.1 Quamvis ipse diu multa tellure gravarer,
 2 spes prodire tamen tempore posse fuit.
 3 Nec mea me frustra tenuit spes ; eruor, ecce !
 4 tergor, et antiquus candor in ore redit.
 5 Meque mei tecto cari excepere nepotes :
 6 non fuit in tota gratior urbe locus :
 7 fert laetos prae se semper patientia fructus
 8 post hiemem semper tempora veris eunt.

LUCRETIAE SIMULACRO

CV_55 v.1 Haec sibi conscivit pulchram Lucretia mortem,
 2 mox ubi adulterum casta coacta tulit.

SUB BUSSAE SIMULACRO

CV_56 v.1 Bussa haec Romanos Cannensi e strage fugatos
 2 excipit, ac reficit millia paene decem.

SUB PROBAE SIMULACRO

CV_57 v.1 Haec Proba Virgilii centonem carmine fecit
 2 in qua complexa est omnia facta Jesu.

AD MINIATEN

CV_58 v.1 O Minias, seu vis etiam Miniante vocari,
 2 nam par ingenio fertile nomen habes.
 3 Quando erit hic noster propriarum bardius expers
 4 curarum ? Nam tunc rem geret ille meam.
 5 Cum caelum stellis careat, cum litus arena,
 6 tum vacuus curis, rem geret ille meam.

AD MINIATEN

CV_59 v.1 Bardius expectat requiem senis et senis aegri

2 maerentis risum laetitiamque viri.
 3 Bardius exspectat vel principis otia summi,
 4 Otia quae mundum visa fuere sibi ;
 5 id primo exspectat ; post id geret ille meam rem,
 6 o Minias, quando rem geret ille meam ?

AD LUCIUM

CV_60 v.1 Si qua Panormigenae laeti tibi cura poetae est,
 2 si qua vel absentis cura. Sit Ergotelis,
 3 quam primum illa tibi commissa negotia comple,
 4 sic adsint votis diique deaeque tuis.
 5 Non erit Ergoteles ingratus muneris hujus
 6 nec meritum musae tale perire sinet.

CV_61 v.1 An memor es nostri, nostrae spes unica musae
 2 scilicet id tenui carmine scire velim.
 3 Si memor es, spondent per te mihi fata quietem :
 4 sin minus, ipse velis ut memor esse rogo.

EPITAPHION IOLIAE CATELLAE

CV_62 v.1 Deliciae domini jacet hoc Iolia sepulcro,
 2 concipis ex tumulo quam brevis illa fuit,
 3 quam fuerit rerum custos, et sedula furum
 4 narrarem ; servi ni invideant catulae.

AD VALLAM

CV_63 v.1 Pauca licet scribas et bis dumtaxat in anno,
 2 si modo non pereunt carmina multa facis.
 3 At si multa facis, quamvis sint millia centum,
 4 Valla, nihil scribis si peritura facis.

LAUS ELISIAE ET CREMONAE

CV_64 v.1 Terra nihil caelo, Phoebos lunaque decoro
 2 invidet : Elisia terra decora sat est,
 3 est etiam terrae : terrae Elisiaeque suos sol
 4 nil petimus coelo, si modo nostra sinat.

LAUS ANGELINAE

CV_65 v.1 Angelinae oculis dedit aurea tela Cupido

2 donavitque genis, matre jubente, faces.
 3 Os nectar, caput ambrosiam, flat pectus amomum
 4 et, quod praetereo, balsama subter olet,
 5 haec eadem collo meros adnectit amores,
 6 deque sinu Veneris scita puella calet.
 7 Hanc olim Siculus vates Marrasius ardet,
 8 Marrasi, certe vis in amore mori.

EPITAPHION IANNINI RITII

CV_66 v.1 Janninus jacet hic. Ritiorum diva propago
 2 nosce virum, quisquis laudis amator ades.
 3 Hunc simul evexit summa ad fastigia virtus,
 4 illa quidem magno nota et amata duci.
 5 Non sua sed fuerant sibi publica commoda curae,
 6 publica, quae laeti causa fuere sui,
 7 nulli consilio, nulli gravitate secundus,
 8 magnus itemque animo, magnus itemque fide.
 9 Eloquio potuit firmissima quaeque movere
 10 Fata etiam, flecti si modo fata queant.
 11 Fovitque et coluit doctos doctissimus ipse,
 12 qui cum spes vatium spesque sepulta ducum est.

AD ERGOTELEN

CV_67 v.1 Cum nequeat nummos, mittit tibi carmina vates,
 2 tu tamen argento carmina pluris habe.
 3 Eripiunt quemvis a mortis dente Camenae.
 4 Carmine vivit Itys, carmine vivit Hylas.
 5 Fortunate puer, quem dilexere poetae.
 6 Grate puer vati, non moriere puer.
 7 Et te sanctus amat vates, ut teque perennet
 8 conatur, modo tu cur amet ille stude.
 9 Ergo vale, Ergoteles, cari spes una parentis,
 10 spes patria hercle puer, sed gravitate senex.

AD PORCELLIUM

CV_68 v.1 Porceli, neque enim patiar Porcelle voceris :
 2 mundus es, et nomen jam tibi dispar erat.
 3 Porceli, qui me tam multis versibus ornas :
 4 et cupis ut reddam carminis ipse vicem.
 5 Nostra tuos timuit tumidos elegia coturnos,
 6 clauda licet, claudio fugit et illa pede.
 7 Extimuit rapidas curvato umbone phalanges,
 8 et mage terribili plurima verba sono.
 9 Nec potui quamvis fugientem saepe vocarim
 10 flectere, nimirum territa musa tuba est.
 11 Quis non horrescat galeas, peltasque, sudisque ?
 12 Et mea si Clio fugit, inermis erat.

13 Illam non Mavors, illam non bella nec enses,
 14 verum blanditiae deliciaeque juvant.
 15 Me quoque fraxineo jam jam Bellona trabali
 16 terruerat, quamquam sum male fortis ego.
 17 Ipsum illum Aeacidem, qui vicerit Hectora Troum,
 18 fac legere, armatum carmen et is fugiet.
 19 Audierit quemdam versus laudasse boantes,
 20 Zaulidamas, vates clarus in Arcadia.
 21 Et petit hi versus tales oracla quid essent,
 22 sunt crepitus tumidi ventris, Apollo refert.
 23 Scita quidem vox, o Porceli, et Apolline digna,
 24 et quam sub memori mente animoque tene.
 25 Nulla etenim vero sunt verba tonantia, verbis
 26 si modo nil grave sit, si modo dulce nihil.
 27 Vel si sunt aliquid, verum respondit Apollo :
 28 ventus id est in quo nil nisi putor inest.
 29 Quod si te tantum sonitus delectat, et aures
 30 impleat, est suavi tibia grata sono.
 31 Cymbalaeque et crotala citharaeque, et sinistra lyraeque,
 32 et quae praeterea nomina mille placent.
 33 Longuseus si vult acri componere bardo
 34 carmina, quid faciat discite, mira canam.
 35 Exprimit ex clausis oculis lectissima quaedam
 36 verba sonora quidem ; sed tamen apta parum,
 37 grata tamen bardo, quamvis non arte nec usu
 38 viderit, at forsitan Graecula verba putet.
 39 Inde sua in numeros connectit verba, nec illa
 40 quae res, sed tantum flagitet ipse sonus.
 41 Materiam verbis excudit, quamque tulit sors
 42 quoque volunt illum barbara verba trahunt.
 43 Inde fit ut scribat quae non intelligat ipse
 44 aedipodes, bardo carmina digna suo.
 45 Hi sunt quos clamat procul, o procul ite profani,
 46 deque suo exagitat Calliopea choro.
 47 Egregius vates, numquam torrente vehetur
 48 verborum, verbis imperat ille suis.
 49 Non agitur fato : verbis non ducitur idem,
 50 quaeque vocet cum vult sub pede verba tenet.
 51 Hi sunt quo sacro admittunt Aganipides antro
 52 et quorum impediunt, laureaserta comas.
 53 Tu quoque si verbis posthac imponis habenas :
 54 rem tractes, et mox des sua verba rei.
 55 Et te delectent mansueta vocabula, et usu
 56 cognita, munda tamen, quaeque Latina putent.
 57 Dignus eris lauro, spargent te flore Camenae
 58 deque tuo facient profluat ore melos.
 59 Tum vero immodicae mea territa Clio tot armis
 60 adveniet, versus et tibi mille dabit.

AD MAECENATEM

CV_69 v.1 Maecenas, decus Italidum et spes altera vatium,
 2 ecquis erit desiderio tandem modus ? Ecquis
 3 aut deus, aut quisnam propior dis otia nobis

4 efficiet ; dum vita recens, patiensque laborum,
 5 dum mea Pierides spondent in carmina laurum ?
 6 Nam seu bella canam jubeas, quae gesserit Anglus,
 7 Anglus Trojano genus et cognomen ab Anglo
 8 nescius haud fuerim, quam forti genua bello
 9 cesserit imperio ducis armipotentis, et Arnum
 10 exsanguem jubes : tremefactum qui orbibus, agnis
 11 cum fluvio haesisse, et caput occuluisse sub alveo.
 12 Nec mihi non nota est gens dura Suizerum mens
 13 inque necem praeceps, jamdudum nescia vinci,
 14 anguigerum perpessa jugum, quos nesciat hostes ;
 15 scilicet et pulsos violenta ex sede tyrannos ?
 16 Qua vi, quo ne astu Ligurum pacaverit oras ?
 17 Sunt quoque magnanimi longe majora Philippi,
 18 nec me gesta latent ; quae si vir grate reponi
 19 mandarique jubes monimentis, scilicet ausim
 20 jussa sequi, tu Sicelidas aliquando Camoenas
 21 experiare ; solent regum gaudere triumphis
 22 adsuetae, et tragico suras vincire coturno.
 23 Tu quoque Maecenas inter celebrabere Reges
 24 adstabisque duci, nec te quo mutua jungit
 25 gratia, disjungam vates, tibi gloria parta est
 26 consilio atque fide, nec te tua candida virtus
 27 fraudabit, nec me immemorem imgratumque quereris,
 28 sed bene pro meritis longa donabere fama.
 29 Tu modo per, si qua est in te pietasve fidesve,
 30 imponas finem votis, eademque secundes.

PRO MARCETTO AD MONTIENTES

CV_70 v.1 Qui colis ac servas nostram, dive anguifer, urbem,
 2 et vos quos genuit pulcherrima Montia cives ;
 3 accipite ac celebrate sacras quas munere mitto
 4 relliquias, gratique illis persolvite honores.
 5 Quae sibi legere hanc patriam et fecere beatam.
 6 Ipse ego natali potui nil gratius urbi
 7 reddere, nec divis acceptius. O ego felix,
 8 o ego ter felix, patriam qui numine donem,
 9 numen qui patria atque beem, patriamque deosque.
 10 Aeneas Latio clarus pietate penates
 11 intulit, et nulla hac virtute insignior exstat ;
 12 verum ego non tali laudem pro munere posco,
 13 sed divum patriaeque simul telluris amore.